

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

MA Level Medieval Latin Examination

14 April 1997

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. How to deal with the 'possessed' (Caesarius of Arles)

Superiore dominica, fratres carissimi, dum missae celebrarentur, non parvum metum omni populo insaniens ille inerguminus generavit. Certum est, fratres, quia vix invenietur homo, qui cum infelicem personam taliter vexari a diabolo viderit, non expavescat et metuat: ratio tamen religionis et perfectae caritatis hoc habeat, ut minus timere et pro illo amplius orare deberemus.

Et tamen, fratres carissimi, si vultis, Deo auxiliante possumus vobis ostendere, unde possitis inerguminum non timere. Numquam timebis daemonem qui est in carne aliena, si eum non habueris in anima tua. Denique sancti et perfecti viri non solum daemoniacos non timent, sed etiam a daemoniacis, immo ab ipsis daemonibus, cum grandi tremore timentur. Sed si in alieno corpore daemonem sic timemus, quantum timere debemus, ne per malos actus eum in nostris cordibus nutriamus!

Omnis homo, carissimi fratres, in convivio cordis sui aut Christum aut diabolum pascit. Si iustitiam, si pacem, si castitatem, si misericordiam et caritatem sectari voluerit, Christum in se sine dubio pascit et reficit.

2. **The Raven Banner of the Danes (Encomium Emmae)**

Aedmund autem in Londonia dimisso exercitu ultimam hiemem duxit. Recedente uero brumali tempore tota quadragesima rursus militiam adunauit; et mox post pascales dies regem et Danos a finibus Anglorum deturbare parauit, et ueniens cum innumerabili multitudine eos subito cogitauit inuadere. At sermo non latuit Danos, qui puppibus posthabitis petunt arida, aptantes se excipere quaeque obuia. Erat namque eis uexillum miri portenti, quod licet credam posse esse incredibile lectori, tamen, quia uerum est, uerae inseram lectioni. Enimuero dum esset simplissimo candidissimoque intextum serico, nulliusque figurae in eo inserta esset imago, tempore belli semper in eo uidebatur coruus ac si intextus, in uictoria suorum quasi hians ore excutiensque alas instabilisque pedibus, et suis deuictis quietissimus totoque corpore demissus. Quod requirens Turchil, auctor primi prelii, "Pugnemus", inquit, "uiriliter, sotii, nihil enim nobis erit periculi: hoc denique testatur instabilis coruus presagientis uexilli." Quo audito Dani audentiores effecti ferratisque induuiis indurati occurrunt Anglis in Aesceneduno.

3. **The Search for a new king for Jerusalem (Galbert of Bruges)**

Ejus quoque vitae tempore contigit regem Hierosolimorum in captiuitatem Saracenorum incurrisse, et desolata sedebat ciuitas Hierusalem absque rege suo quem, sicut didicimus, christiani nominis milites qui militiae christianae ibidem studuerant odio habebant eo quod tenax et parcus fuisset rex ille captus, nec bene rexisset populum Dei. Inierunt ergo consilium et communi consensu litteras direxerunt comiti Karolo ut ascendens Hierosolimam regnum Iudeae assumeret et in loco et sancta ciuitate imperii catholici coronam dignitatemque regiam possideret. Noluit igitur, super hoc fidelium suorum accepto consilio, deserere patriam Flandriarum, quam uita comite bene rectorus foret et satis melius quam adhuc rexisset, nisi traditores illi pessimi, pleni demonio, dominum et patrem plenum spiritu pietatis et consilii et fortitudinis enecassent. Proh dolor! quod tantum uirum ab ecclesia Dei tollerent, de quo regem ecclesiae et populus orientalis imperii et Hierosolimorum ciuitas sancta simul cum populo christianorum peroptauerat et disposuerat simulque expostulauerat constituere.

4. Gascony and Gascons (from Pilgrim's Guide)

Transito vero hoc solo, invenitur terra Gasconica, candido pane et optimo vino rubicundo larga, nemoribus et pratis, fluminibusque fontibus sanis apta. Gasconi sunt levilogi, verbosi, derisores, libidinosi, ebriosi, cibis prodigi, male induti pannis et gazis devastati, bellis tamen assueti, sed hospitalitate pauperum precipui. Circa ignem sedentes, sine mensa comedere et cum uno cypho omnes bibere utuntur. Largiter comedunt et bibunt et male vestiuntur, et turpe subpositis paucis paleis, in putredine scilicet, familia cum domino et domina, omnes una recumbunt. In hujus terre exitu, via scilicet Sancti Jacobi, habentur duo fluvii qui prope villam Sancti Johannis Sordue, alter scilicet ad dexteram et alter ad levam fluunt, qui sine rate nullo modo transmeari possunt, quorum naute penitus dampnantur. Cum enim flumina illa admodum stricta sint, tamen de unoquoque homine tam de paupere quam de divite quem ultra navigant, unum nummum more accipiunt, et de jumento quatuor, vi etiam indigne capiunt.